

monumenta retinebitis, corporis in Italia nullum sepulcrum esse patiemini? hunc sua quisquam sententia ex hac urbe expellet, quem omnes urbes expulsum a vobis ad se vocabunt? O terram illam beatam, quae hunc virum exceperit: hanc ingratam, si ejecerit: miseram, si amiserit! Sed finis fit. Neque enim prae lacrimis jam loqui possum: et hic se lacrimis defendi vetat. Vos oro obtestorque, iudices, ut in sententiis ferendis, quod sentietis, id audeatis. Vestram virtutem, justitiam, fidem, mihi credite, is maxime probabit, qui in iudicibus legendis, optimum et sapientissimum et fortissimum quemque legit.

XI. C. PLINII SECUNDI C.

PANEGYRICUS TRAJANO AUG. DICTUS. *

I. Bene ac sapienter, patres conscripti, majores instituerunt, ut rerum agendarum, ita dicendi initium a precationibus capere; quod nihil rite, nihilque providenter homines sine deorum immortalium ope, consilio, honore auspicarentur. Qui mos cui potius, quam consuli? aut quando magis usurpandus colendusque est, quam quum imperio senatus, auctoritate reipublicae ad agendas optimo principi gratias excitamar? Quod enim praestabilius est, aut pulcrius munus deorum, quam castus et sanctus, et diis simillimus princeps? Ac, si adhuc dubium fuisset, forte casuque rectores terris, an aliquo numine darentur, principem tamen nostrum liqueret divinitus constitutum. Non enim occulta potestate factorum, sed ab Jove ipso coram ac palam repertus, est electus; quippe inter aras et altaria, eodemque loci, quem deus

* Edit. Stereot. Lipsiae, 1829. etc.